

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Cornelius Nepos perperam vulgo Aemilius Probvs dictus,  
De Vita Excellentivm Imperatorvm**

**Nepos, Cornelius**

**Lipsiae, MDCCXIV**

**VD18 12591890**

VII. Alcibiades.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16472**

cum <sup>15</sup> legisset probassetque, dum obsignatur,  
<sup>16</sup> alterum <sup>17</sup> pari magnitudine, ut discerni non  
 posset, signatum <sup>18</sup> subiecit, in quo accuratissi-  
 me <sup>19</sup> eius auaritiam perfidiamque accusarat.  
 Hinc Lysander domum cum rediisset, postquam <sup>3</sup>  
 de suis rebus gestis apud maximum magistra-  
 tum, quae voluerat, dixerat, testimonii loco  
 librum a Pharnabazo datum tradidit. Hunc,  
<sup>20</sup> summoto Lysandro, cum ephori cognosserent,  
 ipsi legendum dederunt. Ita ille imprudens  
 ipse suus fuit accusator.

<sup>14</sup> quem ] librum s. epistolam.

<sup>15</sup> legisset ] Lysander.

<sup>16</sup> alterum ] librum s. epistolam.

<sup>17</sup> pari ] i. e. in.

<sup>18</sup> subiecit ] untergeschoben.

<sup>19</sup> eius ] Lyfandri.

<sup>20</sup> summoto Lysandro ] nachdem er hat einen abtritt nehmen müssen.

## VII.

### ALCIBIADES.

#### ARGUMENTVM.

1. Alcibiades & vitiis & virtutibus, prout tempora poscebant, insignis;
2. optimis praceptoribus usus, a multis adolescens amatus est, & ipse post multos amauit.
3. Belli dux contra Syracusanos delectus, in suspicionem venit, Hermas deieisse, & mysteria domi facere.
4. Quo crimine domum vacatus, cum Thurios, Elidem, Thebas evasisset, deuouetur: quam iniuriam, Spartanis inseruendo, vindicat.
5. Sed his quoque suspectus, ad Tissaphernem venit, & Atheniensium exercitui conciliatus, res eorum insigniter auget.
6. Bene ob id domi exceptus, resacratur.
7. Sed apud Cymen minus felix, iniuria rursus grauatus, in Thraciam concedit:
8. ciuibus tamen apud Egos flumen bene, ut vt frustra, consulit, Lysandro incantos opprimente.
9. Ita spe patriae

*orbatus, in Thraciam redit, inde in Asiam ad Pharnabazum,  
ut regis colloquio potiatur. 10. Ibi in insidias illapsus,  
cum incendio se eriperet, telis conficitur: II. infamatus &  
multis; a clarissimis historicis laudatus.*

I. **A**lcibiades Cliniae filius, Atheniensis. In hoc  
<sup>1</sup> natura, quid efficere possit, videtur experta.  
Constat enim inter omnes, qui de eo <sup>2</sup> memoriae  
prodiderunt, nihil <sup>3</sup> illo fuisse excellentius,  
**2** vel in vitiis, vel in <sup>4</sup> virtutibus. Natus in <sup>5</sup> am-  
plissima ciuitate, <sup>6</sup> summo genere, <sup>7</sup> omnium  
aetatis suae multo formosissimus, ad omnes res  
aptus, <sup>8</sup> consiliique plenus. Namque imperator  
fuit summus <sup>9</sup> mari & terra: disertus, vt impri-  
mis <sup>10</sup> dicendo valeret: & tanta erat commen-  
datio oris atque orationis, vt nemo ei dicendo  
posset resistere. Idem cum tempus posceret, la-  
**3** boriosus, patiens, liberalis, <sup>11</sup> splendidus, non

Cap. I. <sup>1</sup> natura ] das naturell.

<sup>2</sup> memoriae prodiderunt ] die was zum andenken aufge-  
zeichnet haben.

<sup>3</sup> illo ] prae.

<sup>4</sup> vel in virtutibus ] Maximarum non expressa, sed  
adumbrata signa virtutum, Cicero pro Coelio cap. 5  
vocat de Catilina locutus. C.

<sup>5</sup> amplissima ciuitate ] Athenis. Ad has laudes perti-  
net, quod Val. Maximus VI. <sup>9</sup> dicit, fortunam nostro  
nobilitatem eximiam, abundantes dinitias, formam praestan-  
tissimam, fauorem ciuium propensum, summa imperia, praeci-  
puas potentiae vires, flagrantissimum ingenium adsignasse. 6.

<sup>6</sup> summo ] ex.

<sup>7</sup> omnium ] in numero omnium.

<sup>8</sup> consiliique ] i. e. copia.

<sup>9</sup> mari ] in.

<sup>10</sup> dicendo ] i. e. in.

<sup>11</sup> splendidus ] er that sich vor, und ließ sich sehen.

minus

minus in vita, quam victu: adfabilis, blandus, 4  
 12 temporibus callidissime inferuiens. Idem,  
 simul ac se 13 remiserat, nec causa suberat, qua-  
 re animi laborem perferret, luxuriosus, dissolu-  
 tus, libidinosus, intemperans reperiebatur: ut  
 omnes admirarentur, in 14 uno homine tantam  
 inesse dissimilitudinem, tamque diuersam na-  
 turam.

Educatus est in domo 1 Periclis ( 2 priuignus II  
 enim eius fuisse dicitur) eruditus a 3 Socrate.  
 sacerum habuit Hipponicum, 4 omnium Grae-  
 cae linguae 5 eloquentia disertissimum. ut, si  
 6 ipse fingere vellet, neque plura bona reminisci,  
 neque maiora posset consequi, quam vel fortuna  
 vel natura tribuerat. 7 Ineunte adolescentia 2

12 temporibus callidissime inferuiens ] er wuste sich in die  
 zeit zu schiken. Hinc est, quod Plutarchus p. 203 illum  
 chamaeleonti comparat. Nam poterat se assimilare &  
 similes affectus fingere cum institutis & viuendi ratio-  
 nibus, mutabilior chamaeleonte.

13 se remiserat ] quando paullo liberius viuere lube-  
 bat, wenn er ein wenig ausgelassen war.

14 in uno homine tantam dissimilitudinem ] Conferas ve-  
 lim, quae Cicero pro Caelio cap. 5 & 6 de diuersa na-  
 tura & inter se pugnantibus studiis Catilinae prodit. C.

Cap. II. 1 in domo Periclis ] summi viri & imperatoris  
 Atheniensium, quem Plutarchus cum Fabio Maximo  
 comparavit. C.

2 priuignus eius fuisse ] sororis filius, Gell. XV. 17 αδελφο-  
 ος, Diod. XII. 98. C.

3 Socrate ] Philosopho magno & morum acerrimo  
 censore Atheniensium.

4 omnium ] in numero.

5 eloquentia ] in.

6 ipse ] Alcibiades,

7 ineunte ] i. e. in.

amatus est a multis <sup>8</sup> more Graecorum: <sup>9</sup> in eis  
a Socrate, de quo mentionem facit <sup>10</sup> Plato in  
<sup>11</sup> *symposio*. namque <sup>12</sup> eum induxit commen-  
morantem, se pernoctasse cum Socrate, neque ali-  
ter ab eo surrexisse, ac filius a parente debuerit.  
<sup>13</sup> Posteaquam robustior est factus, non minus  
multos amauit. in quorum amore, quoad lici-  
tum est, <sup>14</sup> odiosa multa delicate iocoseque fe-  
cit: quae referremus, nisi maiora potioraque  
haberemus.

III <sup>1</sup> Bello Peloponnesiaco <sup>2</sup> huius consilio atque  
auctoritate Athenienses bellum <sup>3</sup> Syracusanis  
indixerunt: ad quod gerendum ipse dux dele-  
<sup>2</sup> ctus est. Duo praeterea collegae dati, Nicias &  
Lamachus. Id cum appararetur, prius quam  
clavis exiret, accidit, ut <sup>4</sup> vna nocte omnes

<sup>8</sup> more ] ex. nach.

<sup>9</sup> in eis ] inter eos.

<sup>10</sup> Plato ] Platonis Graeca verba p. 293 ed. Basil. sunt:  
Ἐδὲν περιττότερον παταδίδαφηνάς ἀνέσν μετὰ Σωκρά-  
τος, οὐτε μετὰ πατρὸς παθεῖσθον, οὐδὲ λόφος περιστύχες. C.

<sup>11</sup> *symposio* ] libro, cui titulus: *coniuinum*.

<sup>12</sup> eum ] Alcibiadem.

<sup>13</sup> odiosa multa ] multa, quae alias erant odiosa, ama-  
toribus suis per iocum dixit & fecit.

Cap III. <sup>1</sup> bello ] in.

<sup>2</sup> huius consilio bellum Syracus.] Antea sub amicitiae spe-  
cie iis auxilia tulerant, qui a Syracusanis premebantur:  
nunc Alcibiades fuit populum μεγάλα πείσας ἐπίγειον  
αὐτός τε μεζόνων ὀργεγόμενος. Nam praeter Pelopon-  
nesum, etiam Carthaginem & Italiam animo comple-  
tebatur, ad quos conatus bellum Siculum necessarium  
videbat. Plutarch. p. 199. C.

<sup>3</sup> Syracusanis ] Syracusae vrbs potens Siciliae insulae  
in mari mediterran. Vid. Tab. IV.

<sup>4</sup> vna ] in.

Hermae,

<sup>5</sup> Hermae, qui in oppido erant Athenis deiicerentur, praeter vnum, qui ante ianuam <sup>6</sup> Andocidis erat, Andocidisque Hermes vocatus est. hoc cum appareret, non sine magna multorum consensione esse factum, quod non ad privatam, sed ad publicam rem pertineret, magnus <sup>7</sup> multitudini timor est iniectus, ne <sup>8</sup> qua repentina vis in ciuitate existeret, quae libertatem opprimeret populi. Hoc maxime <sup>9</sup> conuenire in Alcibiadem videbatur, quod & <sup>10</sup> potentior, & maior, quam <sup>11</sup> priuatus, existimabatur. Mul-

<sup>5</sup> Hermae deiicerentur ] Statuae erant Mercuriales τερεγγείαι, κυκλιστές, ἀχειρεῖαι ἀποδεξ. quadratae, cubi figura, sine manibus & pedibus, positae in vestibulis tam priuatarum, quam sacraum aedium. Hac formam sermonis & eloquentiae notabant, quae, quounque inciderit, instar cubi firmiter sedeat: in sene etiam consiliis foecunda, ubi manus, pedes, id est corporis vires defecerint. Thucyd. VI. p. 429. Suidas p. 1044. Plutarch. extremo lib. An seni resp. gerenda. C.

<sup>6</sup> Andocidis Hermes ] Andocides orator, e posteris, ut putabatur, Vlyssis, Plutarch. p. 201, cuius aliquot orationes supersunt. C.

<sup>7</sup> multitudini timor est iniectus ] Fama erat, Corinthios Hermas deiicisse propter colonos suos Syracusios, ut Athenienses portento retincent a bello Siculo. Verum populus hunc rumorem neglexit, plus sibi ab intestino malo, quam externo periculo metuens. Plutarch. p. 200. C.

<sup>8</sup> qua ] aliqua.

<sup>9</sup> conuenire ] es traff ein auf den Alcibiadem.

<sup>10</sup> potentior & maior, quam priuatus ] erant enim permulta statuae, quae nonnisi a factioso una nocte disturbari poterant, Diodor. XIII. 2 Hermae παμπληθῆς κατὰ τὴν πόλιν ὄντες. C.

<sup>11</sup> priuatus ] der, ohne ein öffentlich amt vor sich selbst hbt.

tos enim <sup>12</sup> liberalitate devinxerat, plures etiam  
 5 <sup>13</sup> opera forensi <sup>14</sup> suos <sup>15</sup> reddiderat. <sup>16</sup> Quare siebat, ut omnium oculos, quotiescumque in  
 publicum prodiisset, ad se conuerteret, neque ei  
 par quisquam in ciuitate poneretur. Itaque  
 non solum spem in eo habebant maximam, sed  
 etiam <sup>17</sup> timorem, quod & obesse plurimum &  
 6 prodesse poterat. <sup>18</sup> Adspargebatur etiam infamia, quod in domo sua <sup>19</sup> facere mysteria di-  
 cebatur: quod nefas erat <sup>20</sup> more Athenien-  
 sium: idque non ad religionem, sed ad <sup>21</sup> con-  
 iurationem pertinere existimabatur.

IV <sup>1</sup> Hoc crimine in <sup>2</sup> concione ab inimicis  
 3 compellabatur. Sed instabat tempus ad <sup>4</sup> bel-

<sup>12</sup> liberalitate deuinixerat ] durch freygebigkeit hatte er sich  
 viele verbündlich gemacht.

<sup>13</sup> opera forensi ] durch beystand in rechts-sachen.

<sup>14</sup> suos ] amicos & fautores.

<sup>15</sup> reddiderat ] fecerat.

<sup>16</sup> quare ] ex qua re.

<sup>17</sup> sed etiam timorem ] Noue dictum, timorem in eo ha-  
 bebant: sed quia non dixit diserte, habebant timorem (nam  
 verbum habebant cum voce spem cohaeret proxime) id-  
 circo haec locutio non est vitiosa, sed elegans potius &  
 venusta propter rotunditatem & ambitum. Lambin. C.

<sup>18</sup> adspergebatur infamia ] es wurde ihm das kleb. flekken  
 angehenget.

<sup>19</sup> facere mysteria ] sacra occulta, qualia erant Eleusinia,  
 in domo sua celebrare.

<sup>20</sup> more ] ex.

<sup>21</sup> ad coniurationem pertinere ] quemadmodum Catilina  
 domi suae sacrarium scelerum constitutum habuit. Cic.  
 orat. I. cap. 9. C.

Cap. IV. <sup>1</sup> hoc ] dc. wegen.

<sup>2</sup> in concione ] Vide ad Themistoclem c. I. 3.

<sup>3</sup> compellabatur ] insimulabatur, er. ward drüber zur rede  
 gesetzt. lum

lum <sup>5</sup> proficisciendi. Id <sup>6</sup> ille metuens, neque ignorans ciuium suorum consuetudinem, postulabat, ut, si quid <sup>7</sup> de se agi bellent, potius <sup>8</sup> de praesenti quaestio haberetur, quam absens in-  
sidia <sup>9</sup> criminis accusaretur. Inimici vero eius  
quiescendum in praesenti, quia nocere se <sup>10</sup> ei  
non posse intelligebant, & illud tempus expe-  
ctandum decreuerunt, <sup>11</sup> quo exisset: ut sic ab-  
sentem aggredierentur. <sup>12</sup> itaque fecerunt. Nam <sup>3</sup>  
postquam in Siciliam eum pervenisse credide-  
runt, absentem, quod <sup>13</sup> sacra violasset, reum  
fecerunt. qua de re cum <sup>14</sup> ei nuntius a ma-  
gistratu in Siciliam missus esset, ut domum ad  
<sup>15</sup> caussam dicendam rediret, essetque in magna  
spe <sup>16</sup> prouinciae bene administrandae, <sup>17</sup> non  
parere <sup>17</sup> noluit, & in <sup>18</sup> triremem, quae ad eum

<sup>4</sup> bellum ] Syracusis indictum.

<sup>5</sup> proficisciendi ] ins feid zu gehen.

<sup>6</sup> ille ] Alcibiades.

<sup>7</sup> de se agi ] wenn sie mit ihm was vornehmen.

<sup>8</sup> de praesenti quaestio haberetur ] bey seiner gegenwart die  
inquisition angestellet würde.

<sup>9</sup> criminis ] i. e. in.

<sup>10</sup> ei ] Alcibiadi.

<sup>11</sup> quo ] in quo tempore.

<sup>12</sup> itaque ] & ita.

<sup>13</sup> sacra ] negotia s. officia.

<sup>14</sup> ei ] Alcibiadi.

<sup>15</sup> caussam dicendam ] seine verantwortung zu thun.

<sup>16</sup> prouinciae ] muneris, quo ei bellum gerendum de-  
mandatum erat.

<sup>17</sup> non noluit ] voluit.

<sup>18</sup> in triremem, quae erat missa ] Salaminia erat missa ad  
deportandum: ipse autem in propriam adscendit tam-  
quam redditurus, eaque apud Thurios aufugit. Diodor.  
XIII.5. Plutarchus autem f. 202 vnius tantum nauis

depor-

*Hac* 4 deportandum erat missa, adscendit: <sup>19</sup> Thurius in Italiam peruectus, multa secum reputans de immoderata ciuium faorum licentia, crudelitateque erga nobiles, utilissimum ratus impendeorem euitare <sup>20</sup> tempestatem, clam se a custodibus <sup>21</sup> subduxit, & inde primum <sup>22</sup> Elidem, deinde Thebas venit. Postquam autem se <sup>23</sup> capitis damnatum bonis <sup>24</sup> publicatis audiuit, & id quod <sup>25</sup> vsu venerat, <sup>26</sup> Eumolpidas sacerdotes a populo coactos, ut se deuouerent, eiusque devotionis, <sup>27</sup> quo testatior esset memoria, exemplum in <sup>28</sup> pila lapidea incisum, esse positum in

meminit, ex qua descendens apud Thurius, in terra se abdiderit. C.

<sup>19</sup> Thurius in Italiam] ad sinum Tarentinum. C. v. T. IV.

<sup>20</sup> tempestatem] periculum detonans ut solet tempestas.

<sup>21</sup> subduxit] er hat sich weggeschlichen.

<sup>22</sup> Elidem, deinde Thebas] Elidem Peloponnesi: Thebas Boeotiae. C. vid, Tab. II.

<sup>23</sup> capitū] in poenā capitīs.

<sup>24</sup> bonis publicatis] nachdem seine gütter öffentlich waren feil gebothen worden.

<sup>25</sup> vsu venit] in vsu venit. was gemeinlich geschieht.

<sup>26</sup> Eumolpidas sacerdotes] Eumolpidae ab Eumolpo, initiationis inuentore, originem & nomen habent. Suidas teste. Cicero de Leg. II. 14 Quid ergo agent Eumolpidae nostri & augusta illa mysteria siquidem sacra nocturna tollimus? Ergo horum ut initiare erat, quod etiam Isocrates Panegyrico docet: ita etiam deuouere, hoc est arcre & excludere a communione sacerorum. C.

<sup>27</sup> quo] vt.

<sup>28</sup> in pila lapidea] immo in pluribus pilis, infra cap. 6. extr. Non solum autem execrations aut damnationes capitales eiusmodi pilis scriptae, sed etiam multae ab Amphictyonibus irrogatae. Diodorus XVI. 24. de Phocensium poena pecuniaria. C.

<sup>29</sup> publico,

<sup>29</sup> publico, Lacedaemonem demicauit. Ibi, <sup>6</sup>  
 ut ipse praedicare confuerat, non aduersus pa-  
 triam, sed inimicos suos bellum gessit, quod  
 iidem hostes essent ciuitati. nam cum intellige-  
 rent <sup>30</sup> se plurimum prodesse reipublicae, <sup>31</sup> ex ea  
 eiecisse, plusque irae sue, quam stilitati com-  
muni paruisse. Itaque <sup>32</sup> huius consilio Lacedae- <sup>7</sup>  
 monii cum Persarum rege amicitiam fecerunt:  
 deinde <sup>33</sup> Deceliam in Attica munierunt, <sup>34</sup> pree-  
 sidioque perpetuo ibi posito in <sup>35</sup> obsidione Athe-  
 nas tenuerunt. <sup>36</sup> Eiusdem opera <sup>37</sup> Ioniam a  
societate auerterunt Atheniensium. <sup>38</sup> quo fa-  
 cto, multo <sup>39</sup> superiores bello esse <sup>40</sup> cooperunt.

Neque vero <sup>1</sup> his rebus tam amici Alcibiadi V  
 sunt <sup>2</sup> facti, quam <sup>3</sup> timore ab <sup>4</sup> eo alienati. Nam

<sup>29</sup> publico] loco.

<sup>30</sup> se] Alcibiadem.

<sup>31</sup> ex ea] subaudi se eiecisse. Alias hi accusatiij cum  
 infinitiis constructionem facient obscuriorum.

<sup>32</sup> huius consilio] i. e. ex. Thucydides VII. p. 495 Al-  
 cibiades Lacedaemonios docebat muro circumdare  
 Deceliam.

<sup>33</sup> Deceliam in Attica] Pausanias Lacon. f. 89 vocat  
 ορειον τὸ ἐν Δεκέλειᾳ, castellum Deceliae, quo comme-  
 tuis terrestris Atheniensium impediebatur, Thucyd. VII.  
 p. 502. Plutarch. p. 203. C.

<sup>34</sup> praesidio -- posito] nachdem eine stetswährende besa-  
 zung dahin ist verlegt worden.

<sup>35</sup> obsidione tenuerunt] sie haben blockiert gehalten.

<sup>36</sup> opera] ex.

<sup>37</sup> Ioniam] minoris Asiae prouinciam. vid. Tab. III.

<sup>38</sup> quo] ex.

<sup>39</sup> superiores bello esse] den meister zu spielen im kriege.

<sup>40</sup> cooperunt] Lacedaemonii.

Cap. V. <sup>1</sup> his] ex.

<sup>2</sup> facti] Lacedaemonii.

<sup>3</sup> timore] ex.

cum acerrimi <sup>4</sup> viri <sup>5</sup> praestantem prudentiam in omnibus rebus cognoscerent, pertimuerunt, ne <sup>6</sup> caritate patriae ductus aliquando ab <sup>8</sup> ipsis descisceret, & cum <sup>9</sup> suis in <sup>10</sup> gratiam rediret. Itaque tempus eius interficiendi quaerere insti-  
<sup>2</sup> tuerunt. Id <sup>11</sup> Alcibiadi diutius celari non po-  
 tuit. erat enim <sup>12</sup> ea sagacitate, vt decipi non  
 posset, praesertim cum <sup>13</sup> animum attendisset ad  
<sup>3</sup> cauendum. Itaque ad Thissaphernem <sup>14</sup> prae-  
 fectum regis Darii se contulit. cuius cum in  
 intimam amicitiam peruenisset, [& Athenien-  
 sium, <sup>15</sup> male gestis in Sicilia rebus, opes <sup>16</sup> se-  
 nescere, contra Lacedaemoniorum crescere vi-  
 deret; initio cum Pifandro <sup>17</sup> praetore, qui  
 apud <sup>18</sup> Samum exercitum habebat, per inter-

<sup>4</sup> eo ] Alcibiade.

<sup>5</sup> viri ] Alcibiadis.

<sup>6</sup> praestantem ] superantem.

<sup>7</sup> caritate ] i. e. a.

<sup>8</sup> ipsis ] Lacedaemoniis.

<sup>9</sup> suis ] Atheniensibus.

<sup>10</sup> gratiam rediret ] sich ausfühnete.

<sup>11</sup> Id Alcibiadi celari non potuit ] licebat etiam loqui, id Alcibiadem celari, sicut Hirtius B. Alex. c. 7 dixit, quod neque celari Alexandrinos possent in apparanda fuga. C.

<sup>12</sup> ea sagacitate ] praeditus.

<sup>13</sup> animum attendisset ] wenn er alle kräfte des gemüthes zusammen genenommen hätte.

<sup>14</sup> prefectum regis Darii ] in Asia citeriore. C.

<sup>15</sup> male gestis in Sicilia rebus ] Peloponnesiacum bellum, in Siciliam deuolutum, graue fuit Atheniensibus & paene exitiale. Iustin. IV. 5. C.

<sup>16</sup> senescere ] infirmari, debiliores fieri, qua sc. seneante, Metaphora ab homine ducta.

<sup>17</sup> praetore ] Atheniensium.

<sup>18</sup> apud Samum exercitum habebat ] Ita etiam Diodor.

nunties

nuutios colloquitur & de reditu suo facit mentionem. Erat enim<sup>19</sup> eodem, <sup>20</sup> quo Alcibiades, <sup>21</sup> sensu, populi potentiae non amicus, & optimatum fautor. <sup>22</sup> Ab hoc destitutus, pri-  
mum per <sup>23</sup> Thrasybulum, Lyci filium, ab exer-  
citu recipitur, praetorque fit apud Samum,  
<sup>24</sup> post <sup>25</sup> suffragante <sup>26</sup> Theramene <sup>27</sup> populisci-  
to restituitur, parique absens imperio praeufigi-  
tur, simul cum Thrasybulo & Theramene.  
<sup>28</sup> Horum imperio tanta commutatio rerum fa-  
cta est, ut Lacedaemonii, qui paullo ante victores  
viguerant, <sup>29</sup> perterriti pacem peterent. victi  
enim erant <sup>30</sup> quinque proeliis terrestribus, tri-

XIII. 41. Est autem haec insula Epheso urbi fere op-  
posita. C. vid. Tab. II.

<sup>19</sup> eodem ] in.

<sup>20</sup> quo ] in quo erat.

<sup>21</sup> sensu ] sententia.

<sup>22</sup> Ab hoc destitutus ] a Pisandro, puta initio. nam  
postea ipse populo restitutionem suasit, Thucyd. VIII.  
p. 583 aut noluit in exercitum recipere, antequam id  
populus iussisset. C.

<sup>23</sup> per Thrasybulum ] qui maxime & semper ea senten-  
tia fuit, ut Alcibiades restitueretur. Thucyd. p. 600. C.

<sup>24</sup> post ] receptionem Alcibiadis ab exercitu.

<sup>25</sup> suffragante ] indem er sein iawort gab.

<sup>26</sup> Theramene ] Philosophus erat Atheniensis, magna  
in republica auctoritate.

<sup>27</sup> populis] i. e. ex populis idem quod ple-  
biscitum, de quo vide supra ad Aristidem. c. I. 4.

<sup>28</sup> horum ] sub.

<sup>29</sup> perterriti pacem peterent ] Post pugnam apud Cyzi-  
cum Diodorus XIII. 52 πρέσβετες ἐπεμψαν εἰς Αθήνας  
ὑπὲρ εἰρήνης. C.

<sup>30</sup> quinque proeliis terrestribus ] i.e. in. Difficile est, hunc  
numerum ex historia probare. Diodorus XIII. 50 tantum  
bus

bus naualibus, in quibus ducentas naues triremes amiserant, quae captae in hostium venerant  
 6 potestatem. Alcibiades simul cum collegis  
<sup>31</sup> receperat <sup>32</sup> Iam, <sup>33</sup> Hellespontum, <sup>34</sup> mul-  
 tas praeterea urbes Graecas, quae in orasitae  
 sunt Asiae, quarum expugnauerant complures;  
 in his <sup>35</sup> Byzantium. neque minus multas <sup>36</sup> con-  
 filio ad amicitiam adiunxerant, quod in captos  
 7 clementia fuerant usi. Inde <sup>37</sup> praeda onusti,  
 38 locupletato exercitu, maximis rebus gestis  
 Athenas venerunt.

VI His cum obuiam vniuersa ciuitas in <sup>1</sup> Pirae-  
 eum descendisset, tanta fuit omnium <sup>2</sup> expecta-  
 tio visendi Alcibiadis, ut ad eius triremem vul-

vnius meminit terrestris apud Cyzicum: Plutarchus  
 f. 207 seq. praeter illud Cyzicenum, aliquot pugnas ad-  
 versus auxilia Spartanorum, quae Pharnabazus adduce-  
 rat, memorauit, etiam urbes expugnatas, eiecto Pelo-  
 ponnesiorum praesidio. Nauales autem pugnae facilius  
 numerantur. Due apud Abydum (quoniam priori  
 Alcibiades non interfuit) Diodor. XIII. 40 & 46. tertia  
 apud Cyzicum, idem XIII. 50. C.

<sup>31</sup> receperat ] in priorem fidem.

<sup>32</sup> Iam ] minor. Asiae. vid. Tab. III.

<sup>33</sup> Hellespontum ] frerum Thraciae. vid. Tab. II.

<sup>34</sup> multas praeterea urbes ] Cyzicum, Chalcedonem,  
 Selymbriam, Byzantium. Plutarch. p. 207 seq. C.

<sup>35</sup> Byzantium ] Thraciae nobile oppidum. vid. Tab. II.

<sup>36</sup> consilio ] in.

<sup>37</sup> praeda ] ex.

<sup>38</sup> locupletato ] i. e. cum.

Cap. VI. <sup>1</sup> Piraeum ] portum urbis Atheniensis, qui  
 consilio Themistoclis aedificatus est, ut supra ex eius vi-  
 ta c. 6. 1 constat. De eo peculiarem libellum scripsit  
 Meursius.

<sup>2</sup> expectatio ] desiderium ex expectatione ortum.

<sup>3</sup> perinde ac ] eben als. <sup>4</sup> aduersus ] infelices.

gus



gus confueret, <sup>3</sup> perinde ac si solus aduenisset; sic enim populo erat persuasum, & <sup>4</sup> aduersas <sup>4</sup>  
<sup>5</sup> superiores, & praesentes secundas res accidisse  
<sup>6</sup> eius opera. Itaque & Siciliae <sup>7</sup> amissum, &  
Lacedaemoniorum victorias culpae <sup>8</sup> suae tri-  
buebant, quod talem virum e ciuitate expulsi-  
sent. Neque <sup>9</sup> id sine caufa arbitrari videban-  
tur. nam postquam exercitui praeesse <sup>10</sup> coe- <sup>3</sup>  
perat, neque <sup>11</sup> terra, neque mari hostes <sup>12</sup> pares  
esse potuerant. Hic <sup>13</sup> ut <sup>14</sup> naui egressus est,  
quamquam Theramenes & Thrasybulus eisdem  
rebus prae fuerant, simulque venerant in Pirae-  
eum, tamen <sup>15</sup> illum unum omnes prosequen-  
bantur, & id quod nunquam antea <sup>16</sup> vsi vene-  
rat, <sup>17</sup> nisi Olympiae victoribus, coronis aureis  
aeneisque <sup>18</sup> vulgo donabatur. Ille lacrimans  
talem benevolentiam ciuium suorum accipie-

<sup>5</sup> superiores] priores. <sup>6</sup> eius opera] ex.

<sup>7</sup> amissum] rara vox quartae decl. pro amissionem,

<sup>8</sup> suae] Atheniensium.

<sup>9</sup> id] infortunia propria culpa accersita.

<sup>10</sup> cooperat] Alcibiades. <sup>11</sup> terra] i. e. in.

<sup>12</sup> pares esse poterant] sie konten die wage halten.

<sup>13</sup> ut] p. stquam. <sup>14</sup> naui] e naui.

<sup>15</sup> illum unum omnes prosequebantur] ceteris ducibus  
neglectis. Plutarchus p. 209 τὸς ἀλλος σερτηγες οὐδ'  
ἔρανη ἐδόκει οἱ αἰπαντῶντες ἄνθρωποι. C.

<sup>16</sup> vſi] in vſi.

<sup>17</sup> nisi Olympiae victoribus] Ex olea vel oleastro coro-  
na in Olympicō agone: an ergo extra ordinem etiam  
aurea? an dixit, ut Olympiae victores oleaginis, ita re-  
deuentem Alcibiadēm aureis fuisse exceptum, quo coro-  
nae tantum cum Olympicis comparentur, non itidem  
materia? Plutarchus p. 209. simpliciter ἔστι φάντα. C.

<sup>18</sup> vulgo] a.

bat,

bat, reminiscens pristini temporis<sup>19</sup> acerbitatem. Postquam<sup>20</sup> asty venit,<sup>21</sup> concione ad vocata sic verba fecit, ut nemo tam ferus fuerit, quin<sup>22</sup> eius casum lacrimarit, inimicumque his se ostenderit,<sup>23</sup> quorum opera<sup>24</sup> patria pulsus fuerat,<sup>25</sup> perinde ac si alius populus, non ille ipse, qui tum flebat, eum<sup>26</sup> sacrilegii damnasset. Restituta ergo huic sunt publice bona, iidemque illi<sup>27</sup> Eumolpidae sacerdotes rursus<sup>28</sup> resacrare sunt coacti, qui eum deuoverant: <sup>29</sup> pilaeque illae, in quibus deuotio fuerat scripta, in mare praecipitatae.

VII Haec Alcibiadi laetitia minus fuit diurna nam, cum ei essent omnes honores decreti, totaque respublica<sup>1</sup> domi bellique tradita, ut<sup>2</sup> vnius arbitrio gereretur; & ipse postulasset, ut duo sibi collegae darentur, Thrasybulus & Admantus: neque id negatum esset; <sup>3</sup> classe in

<sup>19</sup> acerbitatem] hostilitatem in accusando eo absente.

<sup>20</sup> asty] i.e. in. Vide supra ad Themistoclem c.4. I.

<sup>21</sup> concione] postquam concio aduocata esset.

<sup>22</sup> eius] Alcibiadis.

<sup>23</sup> quorum opera] ex quorum opera.

<sup>24</sup> patria] ex.

<sup>25</sup> perinde ac] gleich als.

<sup>26</sup> sacrilegii] in scelere sacrilegii.

<sup>27</sup> Eumolpidae] Vid. cap. IV. n. 26.

<sup>28</sup> resacrare] a diris, quibus illum deuoverant, absoluere.

<sup>29</sup> pilaeque in mare praecipitatae] ad abolendam memoriā: alias exscalperunt, quae iniuste inscripta erant. Diodorus XVI. 24 τὰς τῶν Αμφικτυόνων αποδάσεις ἡ τῶν σηλᾶν ἐξέκοψε. ε.

Cap. VII. <sup>1</sup> domi bellique] i.e. in negotiis.

<sup>2</sup> vnius] i.e. ex arbitrio vnius.

<sup>3</sup> classe] cum.

Agam

Asiam profectus, quod <sup>4</sup> apud Cymen minus  
<sup>5</sup> ex sententia rem gesserat, in inuidiam recidit,  
<sup>6</sup> nihil enim eum non <sup>7</sup> efficere posse <sup>8</sup> ducebant.  
ex quo siebat, vt omnia minus prospere gesta <sup>2</sup>  
<sup>9</sup> eius culpa et tribuerent, cum eum aut negligenter, aut malitiose fecisse loquerentur. sicut rum  
accidit. nam <sup>10</sup> corruptum a rege capere Cy-  
men noluisse, <sup>11</sup> arguebant. Itaque <sup>12</sup> huic ma-  
xime putamus <sup>13</sup> malo fuisse, nimiam opinionem  
ingenii atque virtutis. timebatur enim non mi-  
nus, quam dilgebatur ne <sup>14</sup> secunda fortuna,  
magnisque opibus <sup>15</sup> elatus, <sup>16</sup> tyrannidem con-  
cupisceret. <sup>17</sup> Quibus rebus factum est, vt <sup>18</sup> ab-

<sup>4</sup> apud Cymen minus ex sententia rem gesserat] Cyme siue Cuima vrbs Æoliae prope Notium, a quo id proelium denominat Diodorus XIII. 71. Non autem ipse rem gesserat, sed vel Clazomeniis auxilio profectus, Diodor. c. l. vel in Cariam ad conficiendam pecuniam, Plutarch. p. 211. mandauerat Antiocho, quem reliquis nauibus praefecerat, ne se absente configrat cum hostibus, qui vero gloriae cupidior mandatum imperatoris cum ma-  
ximo ciuitatis suae damno contempsit. C.

<sup>5</sup> ex sententia ] nach wunsch.

<sup>6</sup> nihil non ] i. e. omne.

<sup>7</sup> efficere ] gloriae magnitudo fraudi erat Alcibiadi. Plutarchus c. l. ἵπο τῆς αὐτῆς δόξης καταλυθῆναι. C.

<sup>8</sup> ducebant ] putabant, existimabant.

<sup>9</sup> eius ] Alcibiadis.

<sup>10</sup> corruptum ] verblendet.

<sup>11</sup> arguebant ] sie beschuldigten ihn.

<sup>12</sup> hisic ] Alcibiadi.

<sup>13</sup> malo ] i. e. in malum. zum übel.

<sup>14</sup> secunda ] a.

<sup>15</sup> elatus ] aufgeblasen, stolz.

<sup>16</sup> tyrannidem ] eine unumschrenckte herrschafft über ein freyes volck.

<sup>17</sup> quibus ] ex.

senti magistratum abrogarent, & alium in eius  
4 locum substituerent. Id ille<sup>19</sup> ut audiuit, do-  
 mum reuerti noluit, &<sup>20</sup> se Paetyen contulit,  
 ibique tria castella communiuit,<sup>21</sup> Bornos, Bi-  
 santhen, Neontichos : <sup>22</sup> manuque collecta  
<sup>23</sup> primus Graeciae ciuitates in Thracia introiit,  
5 glorioius existimans barbarorum <sup>24</sup> praeda lo-  
 cupletari, quam Graiorum. Qua ex re creuerat  
 eius fama cum opibus, magnamque amicitiam si-

<sup>18</sup> absenti] Alcibiadi. ~~non fuit uenit~~ 5.1

<sup>19</sup> ut] h. l. idem quod postquam. ~~od 52. oopisre~~

<sup>20</sup> se Paetyen contulit] ita diserte Diodorus XIII. 74.  
 nec abludunt vestigia manu scriptorum, quibus inuitis  
 alii Perinthum intruserunt. Est autem Paetye ad Pro-  
 pontidem ultima in limite Chersonesi, Ptolem. III. ii. Con-  
 sentit Xenophon Rer. Graec. lib. I. p. 259 Alcibiadem ex  
 hac clade ες Χερσόνησον, ες τα ειντο τείχη, in Chero-  
 nesum, in munimenta sua refugisse. C. Vid. Tab. II.

<sup>21</sup> Bornos, Bisanthen, Neontichos] Borni, locus obscurus,  
 ignotus geographis. Bisanthe, quae & Rhaedestus, su-  
 pra Paetiam sita (Ptolem. c. i.) ab Ortelio primum ad-  
 sumta pro vulgatorum Byzia: addo quod & ante cla-  
 dem munimentum habuerat περι Βιτάβην, Plutarch. p.  
<sup>215</sup>. Neontichos Scylacis haud procul Perintho est: pro-  
 prior quidem Paetiae Macrontichos Ptolomaei: quod in  
 textum Nicol. Courtinus recepit: illud vero magis  
 conuenit cum vestigiis manu exaratorum codicum. C.

<sup>22</sup> manuque] parte copiarum.

<sup>23</sup> primus Graeciae, ciuitates in Thracia] Ita codices qui-  
 dam habent Hier. Magio testante: alii, etiam Bosius,  
 Graeciae ciuitatis in Thraciam. Lambinus vocem ciuitatis  
 expunxit, quem plures editores secuti sunt. Adqui-  
 esco in prima lectione, quae Bosio etiam probatur, ut  
 ciuitates in Thracia sint liberi Thraces seu αστικοι, ut  
 Plutarchus c. l. vocat, quos bello inuasit Alcibiades.  
 Ciuitas enim populum liberum sonat, ut saepe apud Cae-  
 sarem de bello Gallico commentariis. C.

<sup>24</sup> praeda] ex.

bi cum

bi cum<sup>25</sup> quibusdam regibus Thraciae pepererat.

Neque tamen a caritate patriae potuit recede-<sup>VIII</sup>  
re. nam cum apud<sup>1</sup> Ἀgos flumen Philocles praetor Atheniensium classem constituisset suam, neque longe abesset L. Mander praetor Lacedaemoniorum, qui in eo erat<sup>2</sup> occupatus, ut bellum quam diutissime<sup>3</sup> duceret, quod<sup>4</sup> ipsis pecunia & rege suppeditabatur, contra Atheniensibus exhaustis, praeter arma & naues, nihil<sup>7</sup> erat super. Alcibiades ad Atheniensium venit exercitum, ibique<sup>8</sup> praesente vulgo agere coepit: si bellent, se coacturum Lysandrum aut dimicare aut pacem petere: Lacedaemonios eos nolle configere classe, quod<sup>9</sup> pedestribus copiis plus quam nauibus

<sup>25</sup> cum quibusdam regibus Thraciae ] Medoco & Scuthe.  
Diodor. XIII. 105. C.

Cap. VIII. <sup>1</sup> Ἀgos in Chersoneso Taurica. Tab. II.

<sup>2</sup> occupatus ] er war damit eingenommen l. beschäftiger.

<sup>3</sup> duceret ] protraheret sine proeliis, quibus cito finiretur. Infra in Datame c. 8. n. 5 cum bellum duci maiore regis calamitate videret. Cicero ad Marium E. ist. VII. 3 cum ab ea (pacis) sententia Pompeius valde ahorreret, suadere institui, ut bellum duceret. C.

<sup>4</sup> ipsis ] Lacedaemoniis. <sup>5</sup> rege ] sc. Persarum.

<sup>6</sup> exhaustis ] erschöfft, & pecunia & copiis.

<sup>7</sup> erat super ] pro supererat, per Anastrophēn qua non casus solum, ut in Grammaticis exstat, sed & verbo simplici praepositio postponitur.

<sup>8</sup> praesente ] coram.

<sup>9</sup> pedestribus copiis plus quam nauibus ] in pedestribus, id est. terrestribus, equitatu comprehenso. In Conone cap. I. praetor pedestribus exercitibus praefuit, & praefectus classis res magnas mari gessit: & Dion cap. 6. quorum consensu praeerat classi, cum Dion exercitum pedestrem teneret. Pedestris ergo non equitatui, sed classi sine nauali exercitui opponitur. Sic & Liuius XXVI cap. vlt. paucos dies excedendis

E 2 . Galerent,

Balerent: sibi autem esse facile,<sup>10</sup> Seuthen regem Thracum deducere, Et<sup>11</sup> eos<sup>12</sup> terra depelleret:  
 3 quo facto, necessario aut classe conflicturos, aut  
 4 bellum<sup>13</sup> composituros. Id etsi vere dictum  
 15 Philocles animaduertebat, tamen postulata  
facere noluit, quod sentiebat, se, Alcibiade rece-  
 pto,<sup>16</sup> nullius momenti apud exercitum futurum:  
 Et si quid<sup>17</sup> secundi euenisset, nullam in ea re su-  
 am partem fore: contra ea, si quid aduersi acci-  
 5 disset,<sup>18</sup> se hunc eius delicti futurum reum. Ab  
 hoc discedens Alcibiades, quoniam, inquit, vi-  
 ctoriae patriae repugnas, illud moneo,<sup>19</sup> iuxta  
 hostes<sup>20</sup> castra habeas nautica.<sup>21</sup> periculum est  
 enim, ne<sup>22</sup> immodestia militum nostrorum occasio

naualibus pedestribusque copiis absumfit. Adde Gronov. ad  
 Liv. XXXVII. 53. C.

<sup>10</sup> Seuthen regem Thracum] amicum suum. Supra c. 70  
 n. 5. C.

<sup>11</sup> eos] Lacedaemonios.

<sup>12</sup> terra] ex.

<sup>13</sup> composituros] dem kriege ein friedlich ende machen.

<sup>14</sup> id] Alcibiadis consilium.

<sup>15</sup> Philocles] praetor Atheniensium, qui illo die im-  
 perium tenebat. Diodor. XIII. 106. Alterna enim vice  
 imperabant, ut ad Miltiad. c. 4 notauimus. C.

<sup>16</sup> nullius momenti] momentum a mouendo, alias notat id  
 temporis spatium, quod vno oculi ictu conficitur: h. l.  
 autem est illud in quo tota res seu rei cardo mouetur,  
 seu praecipuum. Nullius momenti, er würde nichts mehr  
 zusprechen haben.

<sup>17</sup> quid secundi] etwas glückliches.

<sup>18</sup> se] Philoclem.

<sup>19</sup> iuxta] neben.

<sup>20</sup> castra nautica] stationem nauium non procul ab ho-  
 stibus habeas.

<sup>21</sup> periculum ne] es ist zu befahren, daß.

<sup>22</sup> immodestia militum] ab immodestia, supra Lysandro  
 cap. 2. C. detur

*detur Lysandro nostri opprimendi exercitus. Neque ea res illum fefellerit, Nam Lysander, cum per 6 speculatores comperisset, <sup>23</sup> vulgum Atheniensium in terram <sup>24</sup> praedatum exisse, nauesque paene inane*s* relictas, <sup>25</sup> tempus rei gerendae non dimisit, <sup>26</sup> eoque impetu totum bellum <sup>27</sup> deleuit.*

At Alcibiades vicitis Atheniensibus non satis IX tuta eadem loca sibi arbitratus, <sup>1</sup> penitus in Thraciam se supra Propontidem abdidit, sperans ibi facillime suam fortunam oculi posse. <sup>2</sup> falso. <sup>2</sup> nam Thrases, postquam eum cum magna pecunia venisse senserunt, insidias ei fecerunt. qui ea, quae apportauit, abstulerunt, ipsum capere non potuerunt. <sup>3</sup> Ille cernens, nullum locum sibi <sup>3</sup> tutum in Graecia, propter potentiam Lacedemoniorum, ad <sup>4</sup> Pharnabazum in Asiam transiit, quem quidem adeo sua <sup>5</sup> cepit humanitate, ut <sup>6</sup> eum nemo in amicitia antecederet, namque ei <sup>7</sup> Grunium dederat in Phrygia castrum, ex quo

<sup>23</sup> vulgum ] der gemeine soldate.

<sup>24</sup> praedatum exisse ] vide ibidem dicta. Ut fieri solet, proditionis suspicione*s* accedebant. Pausanias Phoc.p. 325 προσθῆναι ἐπὶ χειμασίν ὑπὸ τῶν σερπηντάρων. C.

<sup>25</sup> tempus ] opportunum.

<sup>26</sup> eoque ] inque eo.

<sup>27</sup> deleuit ] ganz und gar ein ende gemacht.

Cap. IX. <sup>1</sup> penitus in Thraciam ] Plutarchus p. 212. Bithyniam habet, sed a Thracibus tum habitatam. Vnde etiam spoliatum dicit υπὸ τῶν ἐκεῖ Θρακῶν. C. vid. Tab. II.

<sup>2</sup> falso ] Vna vox periodus, i. e. At falso ita sperauit. C.

<sup>3</sup> ille ] Alcibiades.

<sup>4</sup> Pharnabazum ] satrapen Persicum.

<sup>5</sup> cepit ] sibi conciliauit, amicum fecit. Sic in passiuo capi est delectari aliqua re.

<sup>6</sup> cum ] Alcibiadem.

<sup>7</sup> Grunium in Phrygia castrum ] Grunium siue Grynium,

4 <sup>8</sup> quinquaginta talenta vectigalis capiebat. <sup>9</sup> Quia fortuna Alcibiades non erat contentus, neque Athenas vietas Lacedaemoniis seruire poterat pati. Itaque ad <sup>10</sup> patriam liberandam omni <sup>11</sup> ferebatur cogitatione. sed videbat id sine <sup>12</sup> rege Persarum non posse fieri. ideoque <sup>13</sup> eum amicum sibi cupiebat adiungi. neque dubitabat facile se consecuturum, si modo eius <sup>14</sup> conueniendi habuisset potestatem. nam <sup>15</sup> Cyrum fratrem ei bellum clam parare <sup>16</sup> Lacedaemoniis adiuvantibus, sciebat; id si ei aperuisset, magnam se <sup>17</sup> ab eo <sup>18</sup> initurum gratiam videbat.

X Haec cum <sup>1</sup> moliretur, peteretque a Pharnabazo, ut ad <sup>2</sup> regem mitteretur, <sup>3</sup> eodem tempo-

quod Xenophon sub init. lib. 3. Graec. & Diodor. Sicul. XVII. 7 cum Aioliae vrbibus, Myrina & Pitane, coniungunt; argumento est, Phrygiam minorem heic intelligendam esse. C. vid. Tab. III.

<sup>8</sup> quinquaginta ] 12500 imperiales.

<sup>9</sup> qua ] in.

<sup>10</sup> patriam ] Athenas.

<sup>11</sup> ferebatur ] ferri ad aliquam rem est a quodam adfectum ad aliquam rem gerendam perduci, h. I. de amore.

<sup>12</sup> sine rege Persarum ] Artakerxe Memore, Darii Noghi filio. C.

<sup>13</sup> eum ] regem.

<sup>14</sup> conueniendi ] conloquendi, adeundi, wenn er ihn nur hätte sprechen können.

<sup>15</sup> Cyrum fratrem ei bellum clam parare ] in Ionia, Hellepono, Chersoneso, Thessalia, Xenoph. princip. lib. I. Exped. Cyri. C.

<sup>16</sup> Lacedaemoniis ] cum.

<sup>17</sup> ab eo ] Vocabulae ab eo absunt a quibusdam codicibus. C.

<sup>18</sup> initurum gratiam ] er werde in große Gnade kommen.

Cap. X. <sup>1</sup> moliretur ] Alcibiades.

<sup>2</sup> regem ] Persarum.

<sup>3</sup> eodem ] in.

re<sup>4</sup> Critias ceterique<sup>5</sup> tyranni Atheniensium  
<sup>6</sup> certos homines ad<sup>7</sup> Lysandrum in Asiam mise-  
runt, qui eum certiorem facerent, nisi Alcibia-  
dem<sup>8</sup> sustulisset, nibilearum rerum fore<sup>9</sup> ratum,  
quas ipse Arbenis constituisset. Quare si suas res<sup>2</sup>  
gestas manere bellet,<sup>10</sup> illum persequeretur. His  
<sup>11</sup> Laco rebus commotus statuit, accuratius sibi  
<sup>12</sup> agendum cum Pharnabazo. Huic ergo re-  
nuntiat, quae<sup>13</sup> regi cum Lacedaemoniis essent,  
<sup>14</sup> irrita futura, nisi Alcibiadem biuum, aut mor-  
tuum tradidisset. non tulit hoc satrapes, &<sup>3</sup>  
<sup>15</sup> violare clementiam, quam regis opes minui  
maluit. Itaque misit<sup>16</sup> Sysamithren & Bagaeum

<sup>4</sup> Critias ] dux tyrannorum, qui Athenas tenebant.

Noster Thrasib. c. 2. extr. C.

<sup>5</sup> tyranni ] welche sich eine ohngebundene herrschaft an-  
masseten.

<sup>6</sup> certos ] fidos.

<sup>7</sup> Lysandrum ] Lacedaemoniorum Praetorem.

<sup>8</sup> sustulisset ] e medio. aus dem wege geschafft hatte.

<sup>9</sup> ratum ] gebilligt, fest gestellt.

<sup>10</sup> illum ] Alcibiadem.

<sup>11</sup> Laco ] idem quod Lacedaemonicus, h. l. pro Lysandro.

<sup>12</sup> agendum ] esse.

<sup>13</sup> regi ] Persarum.

<sup>14</sup> irrita ] non rata, i. e. non certa, ut paullo ante noste  
dixerat.

<sup>15</sup> violare clementiam, quam regis opes ] utile praepo-  
nens honesto. Notum, quod ex Euripide Tullius Off.  
III. 21 profert: Si violandum est ius, regnandi gratia violan-  
dum est. C.

<sup>16</sup> Sysamithren & Bagaeum ] illum patrum Pharnaba-  
zi, hunc fratrem, Plutarch. extr. Alcib. quamvis is Ma-  
gaeum corrupte scribat. Praestat Bagaeum, ut cum Bagoa  
vulgaris nomine in aula Persarum conueniat, quo eunus-  
chus notatur, Plinio teste XIII. 4. quod hominum genus  
summis honoribus in Oriente praeficiebatur. C.

ad Alcibiadem interficiendum, cum <sup>17</sup> ille esset  
in <sup>18</sup> Phrygia, iterque ad regem compararet.  
**4** Missi clam <sup>19</sup> vicinitati, in qua tum Alcibiades  
erat, dant negotium, ut eum interficiant. Illi,  
cum eum ferro adgredi non auderent, noctu  
ligna contulerunt circa casam eam, in qua quie  
scerat, eamque succenderunt: ut incendio con  
ficerent, quem manu superari posse diffidebant.  
**5** Ille autem sonitu flammae excitatus, quod gla  
dius ei erat subductus, familiaris sui <sup>20</sup> subalare  
telum eripuit. Namque erat cum eo quidam ex  
Arcadia hospes, qui nunquam discedere volue  
rat. <sup>21</sup> Hunc sequi se iubet, & <sup>22</sup> id, quod in  
praesentia vestimentorum fuit, arripuit. his  
**6** in ignem eiectis, flaminae vim transiit. Quem  
ut barbari incendium effugisse eminus viderunt,

<sup>17</sup> ille ] Alcibiades.

<sup>18</sup> Phrygia ] in Phrygia maiore. Monumentum enim  
Alcibiadis Athenaeus (XIII, 4.) Inter Synada & Metro  
polim vidit. C.

<sup>19</sup> clam vicinitati ] Vicinitati, vel sexto casu, ut Lace  
daemoni Praefat. n. 4; vel tertio, ut Plaut. Mil. III. 3. 9.  
mihi clam est, quamquam casum ibi a verbo, quam ad  
verbio regi, malunt grammatici. Vicinitas autem νεμη  
vicus est Plutarcho extremo Alcibiade, & Diodoro XIV.  
ii. cui Melissae nomen erat, teste Athenaeo XIII. 4. C.  
Non opus est hac B. Cellarii interpretatione. Vicinitati  
enim h. l. idem est ac vicinis, sicut seruitia accipiuntur  
pro seruis. Ordo ergo & sensus talis est: Missi, (qui missi  
erant) vicinitati (vicinis) in qua tunc Alcibiades erat, clam  
(clanculum) dant negotium &c.

<sup>20</sup> subalare telum ] quod sub aliis gestare solebant. Fuit  
vero breuis pugio. Nam telum omne id notat, quo ali  
quem caedere, verberare & vulnerare possumus.

<sup>21</sup> hunc ] hospitem.

<sup>22</sup> id vestimentorum ] ea vestimenta.

telis

telis missis interfecerunt, caputque eius ad Pharnabazum retulerunt.<sup>23</sup> At mulier, quae <sup>24</sup> cum eo viuere consueverat,<sup>25</sup> muliebri sua veste coniectum, aedificii incendio<sup>26</sup> mortuum cremavit, quod ad vium interimendum erat comparatum. Sic Alcibiades<sup>27</sup> annos circiter quadraginta natus, diem<sup>28</sup> obiit supremum.

Hunc<sup>1</sup> infamatum a plerisque, tres<sup>2</sup> grauisimi historici summis laudibus extulerunt: Thucydides, qui eiusdem aetatis fuit: <sup>3</sup> Theopompus, qui fuit post aliquanto natus, & Timaeus:

<sup>23</sup> At mulier ] vel *Timandra* nomine, ut Plutarchus vocat: vel *Theodata*, ut Athenaeus XIII. 4. C.

<sup>24</sup> cum eo vivere consueverat ] Tollunt viuere Sehottus in h.l. & Buchnerus ad Fabrum, eleganti & usitata ellipsi. C.

<sup>25</sup> muliebri sua veste coniectum ] sicut paullo ante somniauerat Alcibiades, amicæ se amiculo indutum. Cicero 2. *Diuin. c. 69.* C.

<sup>26</sup> mortuum cremavit ] Graecorum more, apud quos aequæ crematio & humatio in usu fuit. Scholiastes Thucydidis ad lib. 2. p. 121 auitam consuetudinem appellat, τῷ πατεῖσθαι νόμῳ χρέωντοι, καύσαντες τὰ σώματα. Adde extremo Eumene dicenda. C.

<sup>27</sup> annos ] i. e. ante.

<sup>28</sup> diem obiit ] ex foro desumpta est haec loquendi ratio, in quo diem obire, sich zum angesetzten termine einstellen.

Cap. XI. <sup>1</sup> infamatum ] der übel war berüchtigt worden, maxime propter luxuriam, cuius multa ex variis confessit Athenaeus XII. 9. C.

<sup>2</sup> grauisimi ] die von größten nachdruck sind.

<sup>3</sup> Theopompus, Timaeus ] Theopompus Chius, Isocratis discipulus, scriptor historiae Graecæ & Philippicæ: Timaeus Tauromenita Siculus, Pyrrhi & Tarentini belli temporibus, scripsit res Siculas gemino opere, primo coniunctas cum Graecorum; altero cum Romanorum rebus. C.

qui quidem <sup>4</sup> duo & maledicentissimi, nescio  
<sup>5</sup> quo modo, in illo uno laudando consense-  
<sup>2</sup> runt. Nam ea, quae supra diximus, de eo  
praedicarunt, atque hoc amplius, cum Athenis  
<sup>6</sup> splendidissima ciuitate natus esset, omnes Athe-  
nienses <sup>7</sup> splendore ac dignitate vitae superasse:  
<sup>3</sup> postquam inde expulsus Thebas venerit adeo  
<sup>8</sup> studiis eorum inseruisse, ut nemo <sup>9</sup> eum <sup>10</sup> la-  
bore corporisque viribus posset, <sup>11</sup> aequiparare.  
omnes enim <sup>12</sup> Boeotii, magis firmitati corpo-  
<sup>4</sup> ris, quam ingenii acumini inseruiunt. Eun-  
dem apud Lacedaemonios, <sup>13</sup> quorum moribus  
summa virtus in patientia <sup>14</sup> ponebatur, <sup>15</sup> sic du-  
ritiae se dedisse, & <sup>16</sup> parsimonia vietus atque cul-

<sup>4</sup> maledicentissimi ] De Theopompo Lucianus sub fi-  
nem libri *Quomodo historia scribenda*, iudicat, accusare  
potius quam narrare facta. De Timaeo Polybius XII.  
<sup>6</sup>. manifeste ipsum plus quam decet propter innatam  
acerbitatem in calumnias excurrere. C.

<sup>5</sup> quo ] i. e. in.

<sup>6</sup> splendidissima ] i. e. in.

<sup>7</sup> splendore ] in.

<sup>8</sup> studiis inseruisse ] er habe sich auf dasenige gelegt, was  
bey den Thebanern gebräuchlich gewesen.

<sup>9</sup> eum ] Alcibiadem.

<sup>10</sup> labore ] in.

<sup>11</sup> aequiparare ] es ihm gleich thun.

<sup>12</sup> Boeotii firmitati corporis ] Diödorus XV. 87 Thebanis  
firmitate corporis praecellentes. C.

<sup>13</sup> quorum moribus ] i. e. ex.

<sup>14</sup> ponebatur ] putabatur, existimabatur. Sic infra n. 6.  
princeps poneretur i. e. primarius existimaretur.

<sup>15</sup> sic duritiae se dedisse ] Spartanorum duritiam & la-  
boris patientiam laudat Iustinus III, 3 ex Lycurgi insti-  
tuto. C.

<sup>16</sup> parsimonia ] in.

tus

tus omnes Lacedaemonios binceret. fuisse apud  
 17 Thracas, homines vinolentos, rebusque<sup>18</sup> Vene-  
 reis deditos; hos quoque in his rebus antecessisse:  
 Benisse ad Persas, apud quos summa laus esset 5  
 19 fortiter venari, luxuriose vivere; horum sic  
 imitatum consuetudinem, Et illi ipsi eum in his  
 maxime admirarentur. Quibus rebus effecisse,  
 Et apud quoscunque esset, princeps poneretur, ha-  
 bereturque carissimus. Sed satis de hoc: reliquos  
 ordiamur.

<sup>17</sup> Thracas, homines vinolentos ] Vinolentiam Thracum  
 perstringit Horatius lib. I. od. 27. pr. & 36. v. 14. C.

<sup>18</sup> rebus venereis ] liebes- händeln.

<sup>19</sup> fortiter venari, luxuriose vivere ] Quam effusi in ve-  
 nationem orientales, vel ex eo manifestum est quod  
 Parthorum rex Vonones raro venatu populares suos ad  
 rebellionem irritauit, Tacit. II. 2. De luxuria gentis ple-  
 ni sunt libri. C.

*Ita 7ta folia*

## VIII.

### THRASYBULVS.

#### ARGUMENTVM.

1. *Thrasylus virtute magis, quam fortuna clarus, patriam &*  
*triginta tyrannis liberavit, quod factum ipsius proprium est:*  
*cetera bellum Peloponnesii cum militibus communia.* 2. *Primum*  
*cum XXX sociis Phylem configit: despectus ob paucitatem,*  
*Munychiam muniuit, quam bis tyranni oppugnant. In proe-*  
*liis parcit ciuibus: cadit Critias.* 3. *Opem fert Pausanias,*  
*qui pacem facit inter oppidanos & Thrasylulum. Hic le-*  
*gem fert obliuionis: 4. donatur corona oliuae, qua non ali-*  
*ter, ac Pittacus agello medico, contentus fuit. In Cilicia &*  
*barbaris negligentia custodum interficitur.* 3

**T**hrasybulus Lyci filius Atheniensis. Si per <sup>Irenius</sup>  
 se virtus sine fortuna ponderanda sit, <sup>I</sup> du-

Cap. I. <sup>I</sup> dubito an hunc primum ponam] dubito an,  
 id est, dubito annon, siue nescio an. C.